

SANTANDERIENSIS

**Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Emmanuelis García Nieto, Sacerdotis
professi Societatis Iesu (1894-1974)**

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati, qui servant testimonia eius, in toto corde exquirunt eum» (*Ps* 119, 1-2).

Conquisitio Domini vultus, quam Israelis Sapiens canit, Servi Dei Emmanuelis García Nieto totam vitam et spirituale itinerarium signavit: Regni fidelis servus, omnino se tradidit sacerdotale in ministerium evangelique viam perfectionis scandit.

Servus Dei die 5 mensis Aprilis anno 1894 in pago *Macotera*, prope Salmanticam ultimus novem filiorum natus est; duos post dies baptizatus est. Eius familia religiositate optime exornata, eum in humanis ac christianis rebus alte instituit. Eius pueritia magno quidem detrimento affecta est; is enim gravi morbo correptus fere ad vitae limina pervenit et patrem suum, ne tres quidem annos natus, amisit. Postea mater eius ad novas nuptias accessit, sine tamen ulla molestia nec ei nec eius fratribus. Prima studia apud Sorores Caritatis egit, quae valetudinarium etiam regebant; dehinc publicam scholam frequentavit.

Interea prima sacerdotalis vitae signa vocationis percipiebat. Hac re, anno 1908 Salmanticense seminarium ingressus est, ubi eum quidam frater eius antecesserat, qui anno 1911 sacro ordine auctus est. Servus Dei anno 1915 theologia studia incepit. Cum institutionis ad studia attenderet matrem etiam amisit. Hic exitus iuvenis Emmanuelis animum valde signavit. Expleto institutionis curriculo, die 16 mensis Maii anno 1920 Servus Dei sacro ordine auctus est.

Suum pastorale ministerium incepit munere fungens vicarii paroecialis apud ecclesiam Nostrae Dominae *de Castillo* in pago *Cantalapiedra*; paulo post factus est parochus in Assumptionis ecclesia parvi pagi Sanctae Mariae *de Sando*. Cito eius sollertia eminuit, una cum eius magna humilitate et facultate audiendi populi necessitates, qua re etiam multi christifideles, qui interea ab ecclesia discesserant, eius ope novam fidei experientiam cognoverunt.

Dominus Emmanuel, iis rebus haud inveniebatur contentus. Hac re suo in animo consilium volvit Societatem Iesu ingrediendi, quam bene noverat

quia saepe patres illius Societatis meditationes in spiritualibus exercitiis alumnis seminarii moderabantur. Hanc ob rem anno 1926, nulla intermissa mora, dominus Emmanuel Societatis Iesu novitiatum est ingressus apud *Carrión de los Condes* et, paulo post, Salmanticam missus est.

Eius spiritualis indoles humilitate, precationis vita mortificationisque spiritu insignis superiorum ac discipulorum animum illo tempore valde commovit. Die 31 mensis Iunii anno 1928 Servus Dei vota emisit, deinde ad *Oña* oppidum prope *Burgos* missus est ut spiritualis esset moderator in seminario minore pagi *Comillas* in Cantabria.

Illis temporibus Servus Dei primitus quasdam cognovit difficultates propter secundae reipublicae hispanicae renuntiationem, quae anno quippe 1931 evenit et novum enim regimen patrum Societatis Iesu electionem a natione disposuit. Pater Emmanuel in Hispania in oppido Sancti Andreae mansit, vitam fere clandestinam degens, sed anno 1937, cum bellum civile exardesceret, debuit Flaviobrigam confugere in Vasconum regionem.

Die 2 mensis Februarii eiusdem anni religiosa vota perpetua emisit.

Belli vicissitudinibus mutatis, patres Societatis Iesu in Hispaniam redire rursus potuerunt. Servus Dei ad *Comillas* rediit ibique suam operam novis muneribus perrexit: etenim Marianarum Congregationum rector nominatus est, sed etiam confessor et magister. Anno 1961 coetui hispanicorum episcoporum spiritualia exercitia praedicavit.

Pater Emmanuel magna fiducia et fere animi ardore sententias Concilii Vaticani II (1962-1965) excepit; sed doluit ob quasdam difficultates, quae cito post Concilium exortae sunt, scilicet progrediens in societate religionis amissio et grave decrementum religiosarum et sacerdotalium vocationum.

Servus Dei suis extremis vitae annis precationi et ministerio perstudiose totum se tradidit, quamvis eius vires gradatim deficerent.

Totam per suam vitam semper promptus fuit gratiae operae. Suam sacerdotalem consecrationem summo zelo explicavit et valuit altissimam spiritualem vitam cum perquam actuosu apostolatu coniungere historicis adiunctis valde mutatis et tristibus dissentionibus exstantibus. Sacerdotale munus ab eo continuo amoris actu in Dominum et animarum cura exercebatur. Heroico modo christianas virtutes exercuit, interiore humilitate, aequitate, constantia, serenitate et laetitia congruenter et perfecte in cotidiana excellentia cultas. Magnus fuit eius amor erga Eucharistiam, per devotam Missae celebrationem. Erga Dei Matrem habuit devotionem.

Magna fiducia vixit, quia, quamvis admodum navus esset, omnia a Deo expectabat et confidebat. Attentus fuit sui temporis signorum, singulis percipiens in casibus etiam vexatissimis Dei progredientem voluntatem. Egenis maxime et omnimodo subvenit adeo ut ab incolis pagi *Comillas* diceretur “pater pauperum”.

Pater Emmanuel, postquam pro Ecclesia et mundo se devoverat, die 13 mensis Aprilis anno 1974, in Sabbato Sancto, pie obiit.

Sanctitatis fama perdurante, a die 16 mensis Octobris anno 1990 ad diem 18 mensis Decembris anno 2000 apud Curiam Ecclesiasticam Santanderiensem, Inquisitio dioecesana celebrata est, cuius iuridica validitas ab hac Congregatione de Causis Sanctorum per Decretum diei 8 mensis Martii anno 2002 est approbata.

Confecta Positione, consuetas secundum normas disceptatum est an Servus Dei heroicum in modum virtutes excoluisset. Fausto cum exitu, die 3 mensis Novembris anno 2016 Theologorum Consultorum Peculiaris Congressus habitus est.

Patres Cardinales et Episcopi Ordinaria in Sessione congregati, cui ego met ipse Angelus Cardinalis Becciu praefui, Servum Dei heroico in modo virtutes theologales, cardinales eisque adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Emmanuelis García Nieto, Sacerdotis Professi Societatis Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 12 mensis Februarii a.D. 2019.

ANGELUS CARD. BECCIU
Praefectus

L. ☩ S.

☩ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis, a Secretis